

Reuerendissime Magnifici ac Generosi Domini
Domini gratiosissimi R. M. ac G. D. Vr̄is
paratissima obseruantia et cultus sui studia officiose
deseri Magistratus et Communitas Regia Ci-
uitatis Elbingensis iubet, faustissima quæq; eisdem
et Commissioni huic Regia conficiendæ exitum
felicem exoptans.

Ac primum quidem quantas potest gratias S. R. M̄ti
Domino suo clementissimo agit, quod habita benignissima ratione
et eorum quæ Serenissima Angliæ Regina Orator petijt,
et Ciuitatis huic R. M. et G. D. Vestras Commissa-
rios delegerit, ut quæ de libera negociationis Anglicanæ
exercitio ac federe Regio consensu ultrò utròq; acta con-
uenta, et in certa quædam capita redacta fuerunt, exactius
ea discuterent. Deinde et R. M. et G. D. Vr̄is gratias
se debere agnoscit, quod ad eam S. R. M̄tis uoluntatem ex-
plendam, sua quoq; studia tam benignè adiungentes ad dictum
huic rei diem frequentes adesse munusq; suum obire uoluerint.
Quod quidem ut prosperè eueniat, atq; ex dignitate S. R.
M̄tis et Reipub. Ciuitatisq; huic Regia commodo, atq;
etiam R. M. et G. D. Vr̄is sempiternæ laudi et
delectationi sit Deum Opt. Max. precatur. Cæterum
ut R. M. ac G. D. Vr̄is statum huius rei, et breuem
quantam summam eorum quæ ad Commissionis huius rationes
pertinent, quæq; adhuc usq; acta sunt, cognoscant, pro eo atq;
Ciuitatis huius interest, pauca quædam exponenda uidentur.
Floruisse quondam Ciuitatem hanc Elbingensem commercio-
rum frequentia, nec multo inferiorem vicinis suis negociando fuis-
se, eo maxime tempore, quo Istule flumen omne in Habi-
sinum se exoneraret, et brachium suum in Rogatum exten-
deret, tum navigationes ueteres per Regnum Daniæ et mo-
numenta alia, tum edificiorum antiquorum forma ac structura,
quæ ad excipienda frumenta ac merces comparata est, satis
docere potest. Terùm succedentibus annis fatali quadam

rerum ac temporum vicissitudine, et per ipsius portus, et flumi:
nis mutationem, et bellorum diversorum calamitatem, Civitas
hæc in eas angustias reducta fuit, ut et navigationibus, et
commercijs hominum destituta in medio pene foro gramina vi:
deret. Cui vastitati et solitudini Civitatis huius suc:
currere volentes Serenissimi Poloniae Reges Divus Sigi:
smundus primus, et Divus Sigismundus Augustus alias atq;
alias iuvanda illius rationes clementissime inierunt. Verum
posteaquam hæc S. M^{tas} Regia ad Inlyti Poloniae
Regni felicissima gubernacula diuinitus enecta, fidesq; illi
ut ab alijs Ordinibus ita ab hac Civitate data fuit,
pro clementia sua Regia de commodis illius augendis
cogitare et prope iacentem erigere cepit, inuenta eius pro:
uehenda et ornanda via hac opportunissima, nimirum ut No:
bilitati atq; Regni incolis liber negociandi usus cum exte:
ris et transmarinis ibidem concederetur. Idemq; hoc au:
toritate sua Regia, edito prius publicè promulgato,
et ad transmarinas Civitates misso, postea etiam in
Conuentu omnium Regni ordinum consensu, sigilloq; publico
confirmavit. Qua libertate concessa, inter ceteros etiam
Angli, qui id temporis multis difficultatibus Pontifici pre:
mebantur, inuitati fuerunt, qui etiam peculiarem ac stabilem
quandam suarum negociationum sedem certis rationibus sibi con:
cedi ibidem petierunt. Quibus cum agendi et tractandi po:
testatem simul atq; R^{tas} fecisset, mox vicini Ge:
danenses, quia et Anglos à se auerti et suis negotiatio:
nibus nonnihil inde decedere existimarent, nihil non con:
tra tentarunt. Ac primum quidem per seippos uaria
impedimenta obiecerunt, deinde et per alios, inprimis per
socias quasdam Civitates Anseas, quas ita et in An:

glos et in *Elbingenses* concitarunt, ut illos quidem uel gra-
uissimi mulctatos, uel à *Ciuitatibus* omnino *exclusos* uellent;
his uero quibus cum illi essent, nisi *dimitterentur*, extrema atq;
atrocissima quæq; *mittendo* intentarent. Quæ tamen omnia mi-
nus *morati* sunt *Elbingenses* propterea quòd *Anglos* in
fidem tutelamq; *Regis sui* susceptos, *litterisq;* *publicis* mu-
nitos, *excludere* minime *fas* esse *ducerent*, et *periculosa* atq;
extrema quædam *Anseorum* consilia *aduersus* *Seuerissima*
Anglicæ *Reginam*, quæ *amicitiam* cum *Principe* suo *coler-*
et, *citra* *consensum* et *uoluntatem* *Regis sui*, *salua* *fide*
sua, *sequi* *pariter* cum *quibusdam* alijs *Ciuitatibus* *socijs*
uerebantur. Quæ re *cognita* *Mæs* *Regia* non modo *ciues*
suos *Elbingenses* *contra* *aduersationes* *eiusmodi* *elementis-*
sime *obfirmavit*: *uerum* *etiam* *ad* *pertractandum* *cum* *Anglis*
porro *excitauit*, *sic* *tamen* *ut* *nihil* *statui* *uellet* *antequam* *id*
approbasset *ratumq;* *habuisset*. *Ideoq;* *cum* *Seuerissima* *Re-*
gina *Anglicæ*, *quæ* *suos* *subditos* *negociantes*, *quemadmodum*
alijs *in* *Regnis* *ita* *his* *etiam* *in* *locis*, *certa* *societate* *et*
præfecto *certis* *de* *causis* *constare*, atq; *Elbingæ* *potius*
quam *alibi* *esse* *cuperet*, *per* *Oratorem* *suum* *plene* *de* *his*
cum *Elbingensibus* *egisset*, *rem* *etiam* *certis* *quibusdam* *ca-*
pitibus *et* *articulis* *comprehensam* *ad* *R. Mæs* *retulit*.

De quibus etsi *R. Mæs* *constituere* *quidem* *iam* *ante*
potuisset, *tamen* *quod* *et* *Regnum* *Poloniæ* *uniuersum* *et*
terras *Prusiæ* *concernerent*, *eisdem* *R. Mæs* *et* *G.*
D. Bris *Commissarijs* *suis* *exactius* *paulo* *discutien-*
dos *committere* *maluit*. *In* *quibus* *nihil* *alienum* *esse*
à *Constitutionibus* *uel* *iuribus* *publicis* *Regni* *aut* *ter-*